DE USU CORTICIS RADICIS GRANATI.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXX. M. NOVEMBRIS MDCCCXXV
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR
FRANCISCUS PLACE
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:
I. REMER, DR.
A. BARCHEWITZ, DD.
G. ZEMBSCH, MED. CAND.

BEROLINI,
TYPIS IOANNIS FRIDERICI STARCKII.

VIRO

CELEBERRIMO, MERITISSIMO
DOCTISSIMO

EMILIO OSANN

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI PROFESSORI P. O. IN ACADEMIA MEDICO-CHIRURGICA MILITARI, PROFESSORI P. E. IN UNIVERSITATE BEROLINENSI, PLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI.

HAS

STUDIORUM SUORUM

PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Si spectamus rationes, quibus ars medica orta, progressa et id, quod nunc tenet, perfectionis fas-igium assecuta est, duas inveniemus vias, quae olae rectae videntur.

Prima est, disquirere accuratissime et dili-entissime, quae sint causae, quae signa et quae n universum tota morborum natura; altera, ex-lorare, quae sint sanandi methodi probatissimae t quae medicamenta aptissima.

Priorem vero partem majoris esse momenti osteriori, facile quisque videt, et omnis itaque ura, omneque studium in indaganda morborum atura ponendum est. Nam permultum ad cu-andos et sanandos morbos accurate investigatam t bene perspectam eorum naturam proficere, so-e clarius, si quo opus est exemplo, scientia chi-urgica ostendit. Neminem enim fugere potest, uam utilitatem ea e disquisitionibus anatomicis, iligenter proximis temporibus institutis, ceperit. ed triste sane et inutile studium, aegroto haud alubre, nisi cum eo, quod medicamenta, quibus

morbus depellatur, docet, est conjunctum. Bene igitur de arte medica merentur, qui novum in medium proferunt medicamentum, quo morbus gravis, hucusque semper rebellis, solvitur. Nec defuere, qui aut nova medicamenta proferrent, aut prolata commendarent, incurii, utrum remedium multa iteratione et experientia probatum fuerit, nec ne. Exemplo esse possunt ii morbi, qui vel difficile sanatu sunt, vel omnino sanari non possunt, et eam ob rem ingenti remediorum copia abundant. Quid itaque mirum, quod plurimorum nulla habetur ratio, et fere totidem negliguntur, quot commendantur? Sed aliter res se habet cum iis, quae sese multa observatione apta ostenderuut, quorum vires in sanando morbo in dubium vocari nequeunt. Quodsi vero experientia de medicamenti cujusdam viribus et utilitate plurimum valet, id, de quo nunc locuturus sum, haud negligendum esse puto; videlicet de cortice radicis granati, cujus vim ad expellendam taeniam novissimis annis medici experti sunt.

Arbor cujus radicem cingit est Punica Granatum. L. Cl. Icosandr. Monogyn. [1]) In iis terris, in quibus sub dio sponte crescit, frutex est altus, in hortis arbor fit, altitudinem octodecim ad viginti pedum habens. Corticem praebet ru-

---

[1]) *Linné vollständiges Pflanzensystem.* 3 *Th.*

bicundum, et rami tenues, passim spinosi, quasi coronam formant. Inflorescentiae stadium mense Junii et Julii intrat. Flores magni, pulcherrimi, inodori, per plures erumpunt menses. In officinis flores sicci, praesertim repleti, nomine balaustiorum, et cortex fructuum nomine malicorii venduntur. Quum has arboris partes inter medicamina adstringentia numeratas inveniamus, vis anthelmintica corticis radicis mira videtur. Hac de re autem, quum penes usum et experientiam arbitrium sit, non multum refert, analysis chemica ad eam illustrandam, utrum multum contulerit, an secus. Mitouart [2]) enim analysi instituta nullam investigavit materiam, cui vis anthelmintica tribui possit: videlicet tannicum, materiam, alteram cerae, alteram saccharo similem, nec parvam acidi galatici multitudinem. Materiae saccharo similis pars una in spiritu vini solvitur et crystallinam formam induit, altera pars aqua solubilis est, et natura mannae utitur.

Usus corticis radicis granati, novissimis temporibus a medicis laudati, qui in terris patriis arboris vivunt, minime novus est. Medici enim gallici narrant, incolas insulae St. Domingo jam dudum eo, nullo consilio medico adhibito, ad

---

2) Journal de Pharmacie. Juillet 1824. — *Repertorium für die Pharmacie vom Dr. Buchner und Dr. Kastner. Band XIX. Heft 1. Nürnberg* 1824.

quoslibet vermes expellendos, usos fuisse. [3]) Magna inde remedio nascitur commendatio, nam fides populi, in medicamento posita, cujus effectus satis conspicuus est contra morbum, qui raro, et nunquam brevi temporis spatio, vi naturae sanatur, faustum auspicium esse videtur. Remedium enim, usu multorum comprobatum, praeferendum esse alii, ex opinionibus theoreticis orto, nemo negabit; nam in rebus medicis longa experientia non est aspernenda.

Buchanan, medicus britannicus, primus in Europa publici juris hoc medicamentum fecisse videtur. [4]) Pluribus enim abhinc annis ejus vim ad taeniam expellendam laudavit. Aliam secutus est methodum adhibendi, quam quae nunc, secundum novissima experimenta, optima habenda est, dum alia quaedam addidit medicamenta, quae ipse pejora et minus efficacia censuit et effectum in taeniam soli cortici radicis granati tribuit.

Ex illo tempore Breton, medicus in exercitu britannico in India orientali, hujus medicamenti efficacitatem laudat. [5]) Plures medici Lusitaniae,

---

3) Nouvelle bibliothèque médicale. IIde année. Tome sixième.

4) Medical and surgical Journal of Edinburgh. Tom. III.

5) Medico-chirurgical transactions. Vol. XI. Part. 2. *Journal der practischen Heilkunde, herausgege-*

Galliae, Germaniae et Britanniae eum secuti sunt, qui paullulum modo adhibendi normam mutantes, fere eundem semper successum observabant. Breton ita hoc medicamentum in India adhiberi narrat, ut unciae duae corticis radicis granati cum libra una et dimidia aquae ad partem dimidiam remanentem coquantur. Colatura refrigerata, aegrotus, ab hora octava matutina incipiens, omni hora aut semihora dosin sumit, quam accuratius non indicavit. Nullis antea medicamentis in usum vocatis, datur; cui methodo assentitur Breton, quamquam eam non omnibus numeris anxie et religiose secutus est. Octo aegrotos, variae aetatis, sexus et corporis constitutionis curavit, et taeniam expulit. Primo eorum decoctum, secundum methodum supra memoratam, dedit. Primis dosibus sumtis, nausea levis ordiebatur, sed hora praeterlapsa postquam ultimam dosin hauserat, taenia ejiciebatur. Alius decoctum sumsit ex unciis duabus corticis s i c c i paratum, quod recenti tanto fortius egit, ut aegrotus, etsi vir fuit robustus, nauseam, vertiginem, dolorem in abdomine et paullo post, vomitum cum sensu summae virium prostrationis, perpessus sit. Quo facto illico taenia ejecta est. Per plures deinde horas virium prostratio et tremor artuum dura-

---

ben von C. W. Hufeland und E. Osann. 1822 1. *Stück. Januar.*

vere. Eundem effectum in pueris duobus, altero septem, altero decem annos natis, observavit, etsi decoctum loco unciarum duarum ex uncia una et dimidia corticis recentis paratum fuit. Reliquis quatuor aegrotis, loco decocti, pulverem corticis, aquae immixtum porrexit, de quo, pro aetate et viribus, scrupulum unum usque ad duos, omni hora aut semihora sumi jussit. Successus in taeniam pariter faustus, in aegrotos minus molestus fuit, quippe qui levem modo nauseam aut vertiginem senserint.

Memorabile et notatu dignissimum instituit experimentum; vermes enim, quos saepe vivos excretos esse et per plures horas vixisse narrat, in decoctum sive aquam pulvere mixtam, immergens, medicamento infesto hoc modo exposuit. Exitus spem non fefellit, nam omnes, valde perturbati et vehementer convulsi paullo post perierunt.

Gomez, medicus lusitanus, his, uti videtur, observationibus attentus, quae ipse de hac nova taeniam expellendi methodo expertus est, singulari libello descripsit. De quatuordecim refert aegrotis, quos facili negotio, hoc medicamento adhibito, ab inimico molesto et pernicioso liberavit [6]. Caute autem et provide medicamentum

[6]) Journal complementaire du dictionaire des sciences medicales, Juin 1823.

ipsi incognitum dedit, uncias enim duas corticis radicis granati cum libra una et dimidia aquae ad libram remanentem coqui jussit. Neque, ut praescripsit Breton, totum deinceps decoctum, sed sex tantum doses aegroto porrexit jejuno, et reliquam partem vespere sumendam seposuit. Saepe semel tantum sumto remedio taeniam vidit fugientem, sin minus, postero die reïterata dosis plerumque eam expulit. Si haec quoque non sufficiebat, tertio die decoctum fortius eadem in dosi sumendum praescripsit. Sed hoc raro accidit et de una modo refert puella, viginti quatuor annorum, quae, per decem annos variis vexata molestiis, e sex annis membra taeniae per alvum excreverat, et per tres dies decoctum sumere coacta fuit. Vomitu, angore et sudore praegressis, taenia erupit. Alius aegrotus quarto demum die decoctum fortius sumsit, sed Gomez ipse non porrexerat. Hac methodo factum est, ut levibus tantum incommodis aegroti afficerentur; in tribus enim vomitus, in duobus plures alvi dejectiones intrabant. Tres frustra medicamentum per triduum sumserunt, sed alio tempore magis opportuno faustum praebuit effectum. Tres aegroti partem modo vermis ejecerunt, quum caput ejus in intestino recto haesisset. Gomez quoque homines, aetate, corporis constitutione et vitae genere valde inter se differentes curavit, et hoc in adhibendo novo hoc medicamento se observasse dicit: agere

nullo alio tempore contra taeniam, quam quo aegrotus partes vermis sponte excernat. Ipse hoc tempus semper exspectavit. Nil prodest diu medicamenti usum continuare; et, si primis diebus nil efficit, interrumpere curam et tempore idoneo iterum instituere, satius esse censet. De diaeta, ab iis servanda, qui brevem hanc subeunt curam, nil monet; neque aliis medicamentis adhibitis aegrotum ad bene ferendum et utiliter sumendum medicamentum parare putabat. Idem, quod Breton, cum vermibus viventibus instituit experimentum eundemque effectum observavit: quare et propter egregiam in expellenda taenia vim, corticem radicis granati medicamentum taeniafugum appellat.

Plures adhuc observationes a medicis variis relatae plus minusve huic cortici hanc vim taeniafugam inesse confirmant.

Deslandes [7]) medicus gallicus, uncias duas corticis cum libra una aquae ad colaturam remanentem partis dimidiae coqui et in duas doses partitam sumi jussit. Levibus torminibus, vertigine et stupore obortis, primo, post ultimam dosin sumtam, horae quadrante taeniam aegrotus excrevit. Tormina ista, mitiora tamen, per diem aliquoties redierunt. Brevissimo temporis spatio

---

7) Nouvelle bibliotheque medicale IIe année. Tome sixième. 1824.

ab incommodo, quod per sedecim annos tulerat, aegrotus liberatus est.

Souza de Velho [8]) aegrotum curavit qui per totam fere vitam helminthiasi laboraverat. Nam primis vitae annis ascaridibus vexatus, per aliquot annos bona valetudine gavisus, in morbum iterum incidit, cujus naturam membra taeniae per alvum excreta, optime indicabant. Variis medicamentis a medicis et pseudomedicis frustra adhibitis, omne consilium medicum abnuit, donec Souza de Velho novi hujus medicamenti virtutem experiri ei persuasit. Aegrotus impatiens, consilium medici, qui per aliquot dies parvam dosin sumere suadebat, negligens, libram decocti et simul uncias tres olei ricini sumsit. Partem taeniae excrevit, sine capite, vehementi tenesmo et torminibus obortis. Postero die iterum, dosibus minoribus a medico praescriptis parum confisus, decocti fortis satis magnam copiam et uncias tres olei ricini hausit. Quo facto, copiosa alvi dejectione orta, reliqua pars taeniae cum capite expellebatur. Illico omnibus, quibus laboraverat incommodis fugatis ad sanitatem integram rediit aegrotus.

Husson [9]), medicus gallicus, aegroto, qui per

---

8) Ibidem.

9) Archives générales de médecine. IIe année. Tome VI. Sept. 1824.

decem annos a taenia vexatus, multis medicamentis frustra usus erat, decocti secundum methodum Gomezii parati uncias duas omni bihorio sumendas praescripsit. Ad vesperam post dolores colicos vehementes taeniam per anum protrudi sensit. Quum eam, citius protrahere conatus, disciderit, pars superior illico in abdomen ascendit. Consilium Gomezii secutus, curam differebat.

Dr. Wolff [10]) Bonnae experimenta cum hoc medicamento instituit, memoratu dignissima. Tres curavit aegrotos, quibus, causa morbi, membris taeniae excretis satis dilucide cognita, decoctum corticis radicis granati praescripsit. Primo, qui multa jam sumserat anthelmintica, decoctum unciarum duodecim (ex uncia una corticis cum unciis viginti quatuor aquae paratum) de quo omni hora uncias duas sumeret, dedit. Vomitus aliquoties intrans decocto coffeae et situ horizontali mitigabatur. Hora una et dimidia post ultimam dosin, taenia viva et integra expellebatur. Alteri, qui eandem dosin decocti frustra adhibuerat, die sequente omni semihora scrupulos duos pulveris corticis, cum unciis duabus aquae sumendos, dedit. Vertigo et dolor premens in epigastrio, caeterum nec nausea nec vomitus intrabant. Partes

---

10) *Journal der practischen Heilkunde. Herausgegeben von C. W. Hufeland und E. Osann. Achtes Stück. August.* 1825.

modo taeniae excernebantur. Tribus vel quatuor diebus post, mira quaedam perturbatio et lassitudo oriebantur, ita ut aliquantulum vini aegrota sumserit. Quum paullo post partes taeniae per alvum mitterentur, decoctum satis forte largioribus dosibus adhibitum est, quod, etsi primae doses vomitu rejiciebantur, taeniam integram expulit. Vehemens sequebatur vomitus. Paucis diebus post, aegrota, vires cito recipiens, bene se habuit. Sumsit deinde decoctum ex unciis tribus corticis ad colaturam unciarum viginti paratum, aegrota, cardialgia et vomitu laborans, e qua per plures menses membra taeniae discesserant. Nausea et vomitus primis dosibus excitabantur et paullo post taenia ejiciebatur.

Minus faustum effectum reliqui septem aegroti experti sunt. Viri duo, aetate provectiores, qui olim taenia laboraverant decoctum frustra sumserunt. Unus eorum, qui per annum et dimidium bona valetudine fruebatur, quum ante aliquot hebdomades, iterum parte taeniae excreta, odiosum adhuc adesse inimicum comperisset, hoc medicamento contra eum pugnare statuit. Alter per quatuordecim annos omnibus incommodis immunis, per septem annos ne vestigia quidem taeniae in excrementis animadverterat. Haud mirum videtur, quod ex his aegrotis taenia non expulsa sit, neque medicamento tribuendum. Deinde puella, undecim annos nata,

decoctum tenue sumsit. Nil novi praebuit nisi quod taenia, satis cito expulsa, partim in intestino recto haeserit. Ad penitus eam removendam satis largae doses olei ricini et decocti alternis vicibus porrectae, diarrhoeam excitabant, taeniam non expellebant. Balnea e lacte et aqua tepida frustra parabantur, imo acidum borussicum concentratum nil effecit. Per noctem pars, quae corpus reliquerat, avellebatur.

Duae denique mulieres et infantes frustra decoctum sumserunt.

Dr. Wolff corticem hunc a pharmacopola accepit, qui arborem validam in horto cultam sibi paraverat. Quum hujus corticem quinque aegroti consumsissent, caeteri cortice arboris minoris et minus validae, quae hoc anno jam floruerat, utebantur. Stadium inflorescentiae saepe efficacitatem talium medicamentorum permutare notum est, sed quum cortex radicis hujus arboris in puella ista, quae partem taeniae excreverat, satis fortiter in vermem egerit, nihil inde colligi potest. Medici, qui saepius hoc medicamento usi sunt, ad hanc rem non attenderunt animos. Gomez mentionem facit aegrotorum e quibus, mensibus Julii, Octobris, Decembris taeniam expulit, et quum in illis regionibus vulgo cortex recens adhiberi videatur, ejus efficacitatem inflorescentia arboris minui, nullis adhuc confirmatur argumentis.

Bourg-

Bourgnoise, observationibus, circa corticis
uujus vim anthelminthicam, academiae regiae lu-
etianae enarratis, laudes ejus in altum tollit. [11])
Medicamentum tunc potissimum efficax esse, ubi
nembra taeniae sponte excernantur, hic quoque
nedicus confirmat. Caeterum non omnino me-
hodum hucusque descriptam sequi videtur. De-
coctum quidem secundum rationem Bretonii pa-
at, sed corticem per noctem macerari jubet, quod
lii quoque auctores gallici commendant. Die
raecedente unciis duabus olei ricini sumtis, ca-
ıalem alimentarem evacuare suadet. Deinde to-
um decoctum, in tres doses, omni semihora su-
nendas, partitum, aegrotus haurit. Primam do-
in saepe, secundam aliquoties, tertiam nunquam
omitu ejici asserit. Nonnunquam alvi dejectio-
ıes et dolores colici leves oriuntur, saepe au-
em omnino nulla intrant incommoda et plerum-
ue primis excretionibus alvinis, semper intra
ihorium post tertiam dosin sumtam, taenia ex-
ellitur. Semper eam mortuam, complicatam et
onvolutam se invenisse dicit.

Haec observatio a ceteris supra memoratis
iscrepat, nam secundum has taenia vivens saepe
xpellitur. Sed Bourgnoise alio modo decoctum
lat, et dosis, quam adhibet, largior, majorem

---

11) *Notizen aus dem Gebiete der Natur- und Heil-*
unde No. 209. May 1825.

fortasse effectum praebet. Dosibus minoribus et longiori temporis intervallo sequentibus, tempus et spatium taeniae datur, ut medicamentum sibi infestum et perniciosum fugere possit; largioribus contra et citius sumtis, vermis impedire nequit, quo minus majori copia tangatur et circumdetur, ejusque vim lethiferam experiatur.

L. Frank [12]) a pluribus medicis Pedemontii decoctum corticis radicis granati feliciter adhibitum esse, paucis verbis narrat. Parmae semel in usum vocabatur, sed aegrotus, morbo diuturno debilitatus medicamentum non tulit.

Berolini pluries adhibitum est, inprimis a professore celeberrimo Osann in policlinico regio sed taeniam non expulit.

Experimenta longe plurima magnam hujus medicamenti vim aperte indicant, et ea quae medicum fefellerunt, ad laudes, quae merito ei tribuuntur, minuendas, nullo modo valent. Ubi sponte crescit arbor et cortex radicis recens semper et genuinus prostat, in variis locis, a variis medicis adhibitus, eundem semper effectum praebuit, tam celerem et tam facile cognoscendum, ut de errore sermo esse non posset. In Germania fere ubique frustra datum. Occulta hujus rei causa quamvis nonnisi observationibus continua-

---

12) Journal complementaire du dictionnaire des sciences medicales. Juillet 1825.

tis investigari possit, nonnulla ex analogia aliorum medicaminum deducta, facile in mentem veniunt. Plantae enim regionis ad meridiem magis vergentis, in septemtrionalem translatae, nunquam eandem vim, altitudinem et formositatem servant. In hortis cultae minus efficaces sunt, quam silvestres et sponte crescentes. Sed Punica Granatum tanto calore solis non eget, nam in Germania meridionali, Austria et Helvetia occurrit, et apud nos in hortis culta, frigus hibernum satis magnum fert. Medici britannici cortice radicis arboris in horto cultae vulgo utuntur, quem idcirco praeferunt, quia mitior est et minus violenter agit. Denique omnes hae opiniones, eo magis incertae et dubiae redduntur observatione Dr. Wolf, qui ope corticis radicis arboris, apud nos in horto cultae, taeniam expulit. Saepius hoc fortasse contigisset, si ubique cortex *virentis* arboris suppeditari potuisset. Si quid a methodo, qua decoctum paratur, pendet, corticis illius vis, qui admodum diu siccus servabatur, maceratione ante coctionem instituta augeri possit. Memorandum videtur, hoc consilium Lutetiis datum esse, ubi ante plures annos cortex iste nullus in officinis inveniebatur, et nunc certo non semper recens prostat. Quum autem pulvis corticis, cujus multo minor copia ad taeniam expellendam usu fficiebat, decocto fortius egerit, haec forma, tunc potissimum, ubi cortex minus efficax prostat,

praeferenda videtur. Propter saporem amarum pilularum formam Gomez proposuit.

Gravior est disquisitio, quali modo optime hoc medicamentum adhibeatur. Quamquam Bretonii formulam plurimi secuti sunt, duas tamen variationes invenimus: Gomez scilicet, qui decoctum tenuius paucioribus dosibus adhibuit, et Bourgnoise, qui fortius decoctum largioribus dosibus cito sumi jussit. Utraque methodus suo quaeque loco optima habenda est. Hoc autem in cura tali instituenda semper reputandum est, omnes fere, qui ea usi sint, medicos, consentire, frustra semper eam adhibitam esse, nisi sponte membra et partes vermis per alvum excernerentur. Hac de re aegroto hoc nascitur commodum, ut, nisi certum signum indicat adesse taeniam, temere et inconsulte, medicamentis anthelminthicis uti non cogatur. Causa hujus phaenomeni non tam in medicamenti indole et natura, quam in incremento vel alia quadam conditione physica taeniae, non facile investiganda, posita esse videtur.

Utrum aliud quoddam medicamentum, effectum corticis nostri adjuvando vel corrigendo, utilitatem aliquam adferre possit, necne, continuata solum observatione et viribus medicamenti melius et perfectius perspectis et cognitis accurate indagari poterit. Neque unum omnibus aegrotis convenire, sed alium aliud postulare, verisimile est. Oleum ricini plures laudant auctores, quod antea vel simul, aegroto exhibent. Sed

omnia hac de re hucusque relata diligenter comparantes, effectum decocti nunquam eo adjuvari, accelerari, aut certius reddi videmus. Medicamentum nostrum, quod propria vi diarrhoeam saepe vehementem excitat, et vermem neutiquam aucto motu peristaltico expellit, ab alvum solventibus, nisi peculiari morbi statu indicentur, vix multum adjuvari poterit.

Alia medicamenta hucusque non addita sunt, quo factum est, ut melius et accuratius de virtute et viribus egregiis corticis judicare possimus. Facilè autem, medicamentum addere, quo incommoda, saepissime inter usum decocti aegrotum vexantia, successu non mutato, minuantur, medico utile videbitur. Incommoda illa autem, utrum medicamento excitentur, annon potius a vermi, vehementer agitato et anxie per intestina venenum fugere coacto, proficiscantur, non satis liquet. Quum enim decocto secundum methodum Bourgnoisii citius hausto, etsi primae doses vomitum moveant, hora dimidia, vel ad summum una interjecta, secunda vel tertia dosis facile et sine incommodo feratur, medicamentum ipsum ventriculo non tam molestum et contrarium esse videtur. Taenia autem incolumis adhuc nec debilitata, quum primum a decocto afficiatur, motu vehementissimo aegrotum perturbat, quo fit, ut, quum nausea et vomitus, tum alii quoque dolores oriantur. Deinde vero, viri-

bus prostratis, in inferiorem partem canalis alimentaris delapsa, neque tam directe, ut ita dicam, a medicamento circumfunditur et laeditur, neque tantas molestias movere potest, quia intestina minus irritabilia offendit. Quodsi autem pari vehementia colon irritat, nausea, propter deficientem nervorum consensum, minus facile, facillime autem, ut vulgo fit, diarrhoea oritur. Quum autem non omnes nauseam et vomitum perpessi sint, nonne putare licet, in his, taeniam superiorem canalis intestinalis partem, et ventriculo propiorem omnino non occupasse? Quum hic decursus, incommoda minus a medicamenti effectu, quam a taenia pendere et proficisci indicet, satius esse videtur, aegrotum dolores istos, mox praeterituros patienter ferre. Medicamenta enim, quae cito dolores a vermibus perturbatis ortos mitigant, quum dulcia sint, sive mucilaginosa, sive oleosa, decoctum facile involvere et vermem tueri possint.

Saepe accidit, ut caput et collum taeniae in intestino firmiter haerens, avulsa caetera parte in abdomen ascendat. Semine igitur et germine morbi non expulsis, eventus fausti spes eluditur. Multa in tali casu medicamenta medici adhibuerunt, sed rarissime taeniam expulerunt. Vi mechanica nunquam protrahi potest, nisi ope tubuli, quo medicus quidam Petropolitanus contractionem sphincteris circa taeniam supera-

vit. [13]) Acidum borussicum concentratum, de quo Frank sermonem facit, et quo Stettini Dr. Gaelnecke taeniam se necasse narrat [14]), non semper hunc praebuit effectum. Sed neque hoc, neque alio quodam medicamento, praeter corticem nostrum, opus esse mihi videtur. Hic certum et celerem effectum pollicetur. Occasione igitur tali oblatâ, vermem quam citissime in decoctum, vel in aquam pulvere mixtam immergere, optima mihi videtur ratio. Experimenta a Bretonio et Gomezio cum vermibus, qui viventes excreti erant, instituta, vix dubitare relinquunt, quin hoc medicamentum, forma clysmatis applicatum, taeniam tuto et cito interficere et expellere valeat.

Anthelminthicum enim verum hunc corticem esse, omnia illa experimenta evidenter probant. Id enim anthelminthicum putandum est, quod specificam vim, veneni instar, contra vermes exercet. Ab his multum differunt ea, quae, mechanica laesione, vel motu peristaltico intestinorum valde aucto, taeniam interdum expulerunt. Optime hac de re scripsit Rudolphi [15]), qui, experimentis cautissime institutis, numerum medicami-

---

13) Journal complementaire. Juillet 1825.

14) *Journal der practischen Heilkunde, herausgegeben von C. W. Hufeland und E. Osann.*

15) Caroli Asmundi Rudolphi entozoorum sive vermium intestinalium historia naturalis. Pars I.

num anthelminthicorum minuit. Nonnisi tria enim hoc ei nomen mereri videntur, frigus scilicet, spiritus vini et olea aetherea foetida. Taenia his exposita, si e homine expulsa est, cito moritur, sed dum in intestinis versatur, nec frigus, nec spiritus vini tam fortiter et tanta in dosi adhiberi possunt, ut eam interficere valeant. Olea autem aetherea foetida, propter ingratissimum odorem et saporem, plurimi aegroti respuunt. Quum igitur cortex radicis granati anthelminthicis hucusque fortissimis et probatissimis, haud inferior sit, imo superet, primum anthelminthicum et ad usum medicum aptissimum esse videtur.

Medicamentum igitur, tanta vi instructum, eum, quem tenet, locum bene tuebitur, nec facile a medicis negligetur. Sed cavendum est, ni fallor, ne majora ab eo postulentur, quam quae pro viribus suis praestare possit. Saepe enim medicamenta nova, mox, tanquam invalida, seponuntur et oblivioni traduntur. Hoc illis potissimum accidit, quae ab inventore nimiis et immeritis laudibus jactantur et efferuntur. Multum igitur interest, de effectu medicamenti accuratissime inquirere, ne quidquam expectemus, quod nullo modo efficere potest. Quae hucusque cortex radicis granati, secundum auctorum medicorum observationes, supra enarratas, efficere valeat, eo redire videntur, ut specifica vi taeniam afficiat, atque perimat. Ingestus igitur in canalem ali-

mentarem, taeniam ibi degentem, fugere cogit et expellit. Quodsi vero quaeritur, radicalis utrum sit cura nec ne, negandum est. Taenia enim non est morbus, sed morbo generatur, qui toti organismo insitus est, et cujus naturam medici in torpore quodam et laxitate canalis alimentaris, mucique nimia secretione posuerunt. Quum autem status valde chronicus sit, et nonnisi diu continuata cura tolli possit, caeterumque variis e causis originem ducat, et variis morbis vel dispositionibus morbosis plus minusve complicetur, facile intelligitur, unum medicamentum non omnibus prodesse et opem ferre posse. Quum itaque cortex radicis granati taeniae cunabula, paucis diebus certe non auferat, durante causa, idem iterum effectus prodire potest. Bremser [16]), cujus plurimum hac de re valet judicium, omnibus medicamentis, quae brevissimo temporis spatio taeniam expellunt, hoc objicit probrum, quod tuto et radicaliter morbum non sanent. Ipse igitur methodo, qua utitur, anthelminthica, non tam taeniam, quam morbum ipsum et causam mali aggreditur, parvi faciens, utrum vermis excernatur, nec ne, dummodo pluribus mensibus praeterlapsis, incommoda et symptomata morbi evanuerint. Quis vero e tam simplici, quale nostrum, medicamento

---

16) *Bremser über Eingeweidewürmer. Wien* 1819.

pares successus petere possit, quam ex medicaminibus magis fortibus et diu continuatis?

Laudes medicamenti nostri his rebus non minuuntur. Vires ejus satis magnae et egregiae sunt. Medicamentum, quod cito, tuto et nulla violenti et periculosa in corpus et canalem potissimum cibarium actione, taeniam expellit, quanti sit pretii, optime profecto intelligit, qui, medicos peritissimos et doctissimos, in expellenda taenia, summam operam frustra collocasse legit. Consideremus quoque, taeniam non raro uberrimum esse fontem morborum gravium et periculosorum. Ad curam radicalem instituendam magnum auxilium cortex noster praebet. Nam si, taenia expulsa, medico, causam morbi tollere et recidivis praecavere necesse videtur, cura multo facilior et simplicior reddita est. Taenia enim ipsa pabulum vitae sibi parat, et laxitatem intestinorum, cui originem debet, longius producit. Irritat quidem intestina, sed actionem certo perversam excitat et muci secretionem, sibi salutarem, aegroto perniciosam, movet.

Saepe denique, et maxime in illis, qui diathesi scrofulosa laborantes, ad helminthiasin proni sunt, dispositionem illam morbosam, naturae viribus extingui videmus. Taenia autem, ita superstite, expulsa, ad integram sanitatem redibit aegrotus, nec deerunt exempla aegrotorum, quos,

decocto corticis radicis granati sumto, perfecte sanatos esse constat.

Spero fore ut observationes continuatae, hanc, de hoc medicamento opinionem confirmaturae sint. Experimenta illa nihil aliud profecisse, quam quod ingentem medicaminum molem, quae contra taeniam adhibita sunt, et quorum aliud alius vanitatem indicat, novo auxerint, persuadere mihi nullo modo possum.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS
A D I E C T U M.

Ego Franciscus Petrus Place, Neusalzae Silesiae inferioris oppido ad Viadrum sito, die XIImo mensis Februarii MDCCXCVIII, a patre Francisco Place, medico, et a matre Christiana e gente Swertneriana, natus sum. Anno MDCCCII parentes Nieskyam, oppidulum Lusatiae superioris se contulerunt. Primis litterarum rudimentis in schola nieskyensi instructus, ab anno MDCCCIX paedagogii, quod Nieskyae floret, alumnus fui. Deinde in Seminarium theologicum, quod illo tempore ibidem collocatum erat, transgressus, per biennium institutionibus theologicis interfui. Anno MDCCCXVII Neuwied, oppidum ad Rhenum inferiorem situm petii, ubi in schola, quae ibi floret, munus praeceptoris suscepi. Triennio ibi fere peracto, anno MDCCCXX arti medicae stu-

dere constitui. Quem in finem Vratislaviam petii, ubi, testimonio maturitatis instructus die XIV mensis Julii ab Ill. Dereser, t. t. rectore magnifico, et Ill. Otto, t. t. facultatis medicae decano spectabili, inter cives academicos medicinae studiosos receptus sum. Hac in alma litterarum sede docuerunt me: Ill. Otto, osteologiam, syndesmologiam, anatomen practicam, theoreticam, comparatam, et pathologicam, nec non zoologiam.

Ill. Steffens: physicen experimentalem et geographiam physicalem regionum tropicarum.

Ill. Fischer chemiam experimentalem, pharmaceuticam et doctrinam de corporibus reagentibus.

Ill. Bartels physiologiam et doctrinam de organis sensuum et de electricitate animali.

Ill. Treviranus botanicen universalem, et plantarum officinalium; excursionibus quoque, quas instituit, botanicis, interfui.

Cel. Klose pathologiam generalem et specialem.

Ill. Wendt materiam medicam et doctrinam de morbis infantum.

Ill. Benedict chirurgiam generalem et specialem, ophthalmiatricen, artem fascias chirurgicas rite applicandi et de instrumentis chirurgicis. Ad lectos quoque aegrotorum in clinico chirurgico accedere, benevole mihi concessit.

Ill. Remer therapiam generalem et specialem, et artem formulas medicas rite concinnandi.